HOMILIA

SANCTISS. DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XI.

PONT. MAX.

HABITA

IN DIE NATALI CHRISTI DOMINI

Inter Miſsarum Solemnia

IN BASILICA PRINCIPIS APOSTOLORUM

ANNO MDCCIII.

FLORENTIÆ, MDCCIV.
Typis Regiæ Celsitudinis
Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

ECce jam venit plenitudo temporis, in quo miſit Deus Filiū ſuum in terras. Gaudia nobis cœlitus nunciantūr, gaudia imperantur. Erumpant igitur montes jucunditatem, & colles juſtitiam. Abſcedat timor, ſuccedat amor: fugiat dolor, & gemitus. Induere veſtimentis gloriæ tuæ Civitas Sancti: excutere de pulvere, conſurge, ſede Jeruſalem; ſolve vincula colli tui, captiva filia Sion. Hodie ſcilicet, effuſo in terras Cœlo, benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei. Hodie lux orta eſt nobis. Hodie gloria Domini ſuper nos deſcendit. Hodie melliflui facti ſunt Cœli. Hodie ſempiterni, & ingeniti Patris unigenitus Filius ſuſceptâ carne prodiit amictus, ut illam ſpiritaliter

reformaret, excluſis antiquitatis ſordibus expiatam. Naſcitur ex incorruptâ Virgine Filius Dei, pauper de noſtro, dives de ſuo; ut pœna peccati, quæ per ſcelus corruptæ mulieris intravit in Mundum, per inviolatæ Virginis partum exiret à Mundo. Venit Cœleſtis de Cœlo Medicus, & quum eſſemus infirmi, noſtram aſſumpſit infirmitatem, ut & ſua nobis insereret, & in ſe noſtra curaret. De Sion venit legifer noſter Dominus, ut humanum genus ab æternitatis arce dejectum amiſſæ reſtitueret dignitati, & cujus fuerat Conditor, eſſet etiam Reparator. Venit à Libano Deus, & Cœlos, quos creaverat, inclinavit, formam ſervi accipiens ſine ſuæ detrimento majeſtatis; humana provehens, divina non minuens. Venit Rex ille manſuetus, jugum captivitatis antiquæ à noſtris cervicibus ſolvens, mærorem Mundi æternâ libertate lætificans. Sic propter nos homines, & propter noſtram

ſtram ſalutem factus eſt in tempore; per quem facta ſunt tempora. Sic Verbum, quod in principio erat apud Deum, & Deus erat, naſci voluit ex homine, ut homo naſci poſſet ex Deo. Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Sic dedit, ut quibus illum dedit, dederit etiam poteſtatem Filios Dei fieri. Magnum profecto, ac præcipuum hoc eſt, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, divinæ dignationis Sacramentum. Omnia quippe dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet Filium, & homo Deum Patrem appellet. Agamus itaque gratias Redemptori noſtro ſuper inenarrabili ejus dono; immenſam ſuperni beneficii largitatem dignis laudibus recolamus: & quod annua nobis revolutione reparatur ſalutis noſtræ myſterium, ab initio promiſſum, in fine redditum, ſine fine manſurum, effuſis gaudiis celebremus. Verum, ut id ipſum plenius, ac uberius peragamus,

tran-

tranſeamus cum Paſtoribus uſque Bethleem, & videamus hoc Verbum, quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis, ut inde cum illis reverti poſſimus glorificantes, & laudantes Deum. Videamus divini operis magnitudinem, divinæ charitatis prodigia. Videamus fecundam Virginem, integram Genitricem, quippe cui gloria Libani data eſt, decor Carmeli, & Saron. Videamus in exinanitione Dei exaltationem noſtram; & quem non aliàs olim, quàm inter diruptarum nubium fragores tonantem trepidi venerabamur, tenebras inter adultæ noctis in præſepio vagientem, ad amoris lucem, & facem ſecuri demiremur. Hæc tamen omnia ut videre poſſimus, meminiſſe nos convenit, non aliàs claritatem Dei circumfulſiſſe Paſtores, quàm cuſtodientes vigilias noctis ſuper greges ſuos, ipſoſque Paſtores ſtatim ac nunciantis Angeli voces audierunt, nullas injeciſſe moras, ſed feſtinantes

ve-

veniſſe, ut natum Dominum adorarent. Vigilemus igitur, Dilectiſſimi, ut vocemur; vocati feſtinemus, ut vocanti obſequamur. Nihil eſt ſomno dandum, ut veniente Domino pervigiles inveniamur. Nihil deſidiæ, nihil cunctationi tribuendum, ut Chriſtum inveniamus. Ita ſane vigiles, ac feſtinantes Bethleemicos Paſtores imitabimur; ac tranſire cum eis merebimur in cœleſtem illam Bethleem, verè Domum panis, Portum ſecuritatis, Arcam ſalutis æternæ, in qua videbimus Deum ſicuti eſt, & videntes amabimus, & amantes in æternum laudabimus.

99 953764 Digitized by Google